

gravis, orbis exemplum, decus hominum, conversacionis splendor et omnis iusticie principatus.

(7) Magnus dominus avus suus, quia imperator Romanus, magnus dominus pater, quia imperator et rex Sicilie, ipse maximus, quia imperator Romanus, rex Iherusalem et Sicilie. Profecto hii tres imperatores sunt quasi tres magi, qui venerunt cum muneribus Deum et hominem adorare ³²), sed hic est adolescentior illis tribus, super quem puer Ihesus felices manus posuit et brachiola sacrosancta. Hii sunt velud tres patriarche potentissimi in veteri testamento, quorum tercius fuit pre ceteris sublimatus mira in isto loco acturus et fidelium auribus minime dubitata ³³).

(8) Predictus dominus avus eius, imperator felicitis memorie Fr[idericus], a quo iste noster dominus denominatur, fuit virga Aaron in tabernaculo posita cum multis virgis aliarum tribuum, que sola floruit, fronduit et fructum fecit ceteris in siccitate remanentibus primitiva ³⁴). Et iam sibi datum est nomen imperii, quod est super omne nomen potestatis terrene ³⁵), ut de domo David semper sit imperator ceteris ducibus Theutonie ^a) remanentibus in pristina potestate. Floruit quidem idem dominus per bonam communionem, fronduit per honestam conversacionem, fructum fecit per optimam operacionem; vel floruit per nobilitatem; fronduit per strennuitatem, fructum fecit per dignitatem. Hec est virga de radice Iesse, id est de avo flos; qui de radice eius ascendit ³⁶), est nepos eius dominus imperator, flos campi et lilium convallium ³⁷), fons ortorum et puteus aquarum vivencium ³⁸) in domini paradiso, super quem almus spiritus quasi apis super florem odoriferum requiescit ³⁹), a solis ortu usque ad occasum laudatur et laudabitur nomen suum ⁴⁰).

(9) In tabernaculo federis erant due corone auree, una quarum dicebatur aurea, altera aureola, sed aureola superposita auree preminebat ⁴¹), sic dignitas istius omni preminet dignitati. Dignus igitur est iste dominus dignitate congrui ^b) et condigni accipere gloriam et laudem cordis, laudem oris et virtutis, id est laudem operis. Lauda proinde anima mea hunc dominum, quia maior est omni laude, exalta eum quantum potes ⁴²),

a) Theutonice *Hs.* b) *So Hs.*; vielleicht zu lesen congrua.

³²) Matth. 2. ³³) Abraham, Isaak, Jakob. ³⁴) Vgl. Num. 17. ³⁵) Vgl. Ephes. 1, 21. ³⁶) Is. 11, 1. ³⁷) Cant. 2, 1. ³⁸) Cant. 4, 15. ³⁹) Is. 11, 2; Kaiser von Gott erleuchtet, vgl. Kantorowicz, a. a. O. S. 84. ⁴⁰) Ps. 112, 3. ⁴¹) Vgl. Exod. 25, 25. ⁴²) Eccli. 43, 33.